

SEVERVS TREVIRORVM EPISCOPV.



S Euerus discipulus fuit S. Lupi Trecassonorum Santistitis, cuius institutione omnis generis disciplinas, liberales artes, & sacras literas egregie didicit. Accedebat & morum grauitas & uitæ innocens. Itaque factum ut anno Christi trecentesimo & octuagesimo, cum Valentinianus tertius Romanorum Imperium gubernaret, Episcopus Treuirensis electus fuit. Is ergo ut officio suo probè fungetur, eo in loco Euangelium Christi prædicauit, Hæreticos confutauit, & iuuentutem in disciplinis instituit, suo etiam exemplo sacerdotes & politicos homines ad uirtutes excitauit, itaq; factum ut magnam undique existimationem nācisceretur. Eius tempore etiam S. Hieronymus Treuiris bonis studijs incubuit, atq; hunc Seuerum plurimum amauit. Cum hoc modo diu optimè præfuisset, moriens in sua Ecclesia sepultus fuit. Beda. B. Rheanus li. i. rerum Germanicarum,